

Propositio XXIX.



Vpposito unius horæ motu secundum doctrinam Ptolemæi in constructione maiori dictione tertia capitulo primo. Qui duplatus aut sibi ipsi additus, duarum horarum motum procreat. Ad quem si adieceris motum unius horæ, proueniet motus trium horarum, & sic deinceps usq; ad 24 horas procedendo. Motus enim 31. dierum, motus est primi mensis Ianuarij. Et sic consequenter per continuam additionem motus unius diei, motum dierum omnium mensium fabricabis, cuiuslibet mensi suos dies secundum Kalendarium Romanum dando, & sic usq; ad ultimum mensem scilicet Decembrem progrediendo, qui motus ultimi mensis ex præcedentibus omnibus collectis, motus est unius anni solaris communis, qui sibi ipsi additus, producit motum duorum annorum. Ad quem motum duorum annorum, iterum motum unius anni iunge, & proueniet motus trium annorum, & sic de alijs, ita tamen quòd in quarto anno semper propter bisextum, motus unius diei additur. Si uero libet annos simul colligere, motum 20 annorum dupla, & proueniet motus 40 annorum. Cui si motum 20 annorum iunxeris, prodibit motus 60 annorum. Item motus 40 annorum duplatus, procreat motum 80 annorum. Cui si addideris motum 20 annorum, conflabis motum 100 annorum, qui duplatus, 200 annorum motum producit, cui si adieceris motum 100 annorum, 300 annorum motum procreabis, & sic per continuam duplicationem aut additionem, colliges motum 1000 annorum. Tabulam autem medijs argumenti latitudinis Lunæ sic compones. Adde medium motum capitis in uno die cum medio motu Lunæ in uno die, & habebis argumentum medium latitudinis Lunæ in uno die, & sic etiam in uno anno uel pluribus, sicuti supra satis dictum est, & ad quantum tempus placuerit, tabulæ æqualium motuum componuntur.

Motus